LAURENTII LEGATI NEA CASTA SIUE MYTHICUS DE CASTANEIS EXCURSUS AD...

Lorenzo Legati

P. A. APROSIO SVO
L. Legatus.

APROSI, te CASTA petit NEA; suscipe. Debent
Nonnisi in ANGELICAS pergere CASTA manus.

ADeste hendecasyllabi, volate,
Salutere APROSIVM meum iubete,
Et si quid vacat ocij papyros
Inter quot vigilat Cedro linendas
Ille ingens Pater Eruditionum
Quot sint, quot fuerint, eruntque posthac.
Palladis posito rigore nostras
Vt nugas quoque perlegat rogate.
Quod si non vacat, atque Glareanum,
Et Paragesium, Goesiumque,
Poncyrum, Opodonisium, Genarium,
Atque Carnesium, Scioppiumque,
Et cum Sapricio Glacesium, *ambos*
Tum Calistonios, Osarpiumque,
Æternos aliosque consodales,
Indiuisibiles quot à seipso
In sui tenet ille APROSIANA
Mirè multiplicatus in tot vnus,
Nullo subleuat ocio, irremisè
Omnium ingenio vnicus laborans,
Seù sacro paret ore fulminare
Verba, quæ sua deieraret ipse

Disertissimus illa nepotum;
Seù Sirenica ab inuidis tuendo
Metra, vindicet optimos Poetas.
Electissima Pindici nitoris
Merens stemmata ab omnibus Poetis;
Seù Consi, & tetrica æmulus Mineruæ
Nouas erigat Italis ATHENAS.
Seù Suada Oenotriæ colonus Hortos
Omni compleat Elegantiarum
Flore; seù Polyhistor hic, & illic
Res quærat celebres, memorq; Auitum
Annales struat Intimelianos.
Ne, quæso, grauibus tot occupatum
Munijs, leuia hæc legat petatis.
Vt tantum insinuetis hoc, abite;
Illi nunc, alias canemus illum;
Abite hendecasyllabi, volate.

ARGVMENTVM.

EX Dianæ Virginibus integerrimæ Neæ Iupiter sociam mentitus vim infert. Illa dedecoris impatiens sibi mortem infligit. Eius misertus amator in Arborem Castaneam conuertit.

 Sesta;

SEctatrix casta NEA formosissima Diuæ
  Nympha verecundo clara pudore fuit.
Pelion huic genitor, mater Melibœa vicissim
  Gaudebant tantum progenuisse decus.
Non hac Manalijs agitans in montibus apros
  Fixerat errantes certior vlla feras.
Ante alias ideò Dictynnæ carior omnes
  Hærebat lateri dulcior vna comes.
At quia, cum rara est, nequit intentata relinqui
  Forma, sed est auidis sollicitata procis:
Multi illam petiere; faces tamen illa maritas
  Negligit, æterna Virginitatis amans.
Sed male vota cadunt, vbi Nympha summa venustas
  Non homines tantum, sed mouet vsque Deos.
Abstinet humanos Triuiæ reuerentia nixus,
  Sed cohibère nequit, quæ Pater ipse parat.
Viderat hanc etenim, specieq; allectus, in illam
  Hæserat impuro Iupiter igne calens.
Virgo placet, Statorq; potest, nec iurgia curat
  Coniugis iratæ, si noua furta sciat.
Ergò cùm Dolopum venantem in saltibus illam
  Nouit, vbi vrgebat Delia prima Leas:
Inspexit cùm Nympha petens in vulnera Ceruum
  Infixit misera spicula certa feræ.
Sancius ille fugit, sequitur NEA, multaque currens
  It procul à casto nescia Virgo choro.

Asti-

Aſtitit huic ſubitò comitem mentitus Amator,
Amplexu & reditum, quem parat illa, vetat.
Crimine ſe tandem prodit, fruſtràque gementem
Stuprat, & inde migrans victor in aſtra redit.
Illa autem & ſiluam, ſeq; ipſam exoſa, diemque,
Quò raptâ, dixit, Virginitate ferar?
Ah pia tu ſaltem me conde voragine tellus,
Ne me lux videat, puraque ſigna Poli.
Mitia quid tantum mihi fulmina parcitis? at vos,
Qui me compreſſit, comprimit vſque Tonans.
Fors vt, cùm libeat, renouet mea probra, coactam
Semper & inceſta conditione premat.
Quàm ſatius fuerat non tam formoſa videri,
Quam ſic laſciuo complacuiſſe Ioui!
Immò quàm ſatius, ſi prorſus lucis in oras
Deformem eduderas tu, Melibœa, parens.
Non tibi, non patri ferem modo maxima luctûs
Cauſa, Thoantaa longè odioſa Dea.
Intemerata forem, nec quem plus ſanguine feci,
Nunc Pudor inuito pectore victus erat.
Sed ſi vim paſſum eſt corpus, mens candida manſit,
Corporis vt maculam prompta cruore luam.
Dixerat, & viridi iaculum de ceſpite ſumens,
Concita per medium pectoris egit ebur.
Concidit, & fundens animam de vulnere caſto,
Summa pudicitia ſanguine ſigna dedit.
Vidit, & è cœlo generoſum Iupiter actum
Miratus, voluit pœnituiſſe ſtupri.
Sed quia non damnat, quæ quondam geſſerit, inquit:
Verè non iſtâ caſtior vlla fuit.
Non auſu ſimili claret mea Parrhaſis, & quot
Præter eam inuita concubuêre mihi.

Sed

Sed mortis si causa tua sum, Nympha, pudorem
Restituam, quantum vel mihi posse datur.
Forsque satis reparabo tua dispendia famæ,
Castam *vbi posteritas publicet esse NEAM.*
Dixit, & in vegetem transformans frigida Plantam
Membra, peregrinâ fronde virere dedit.
Deq; animo, & Nymphæ deducens nomine nomen,
CASTA—NEA esto, inquit, nam NEA CASTA fuit.
Hinc tibi tutor ero, itaq; vt mida Chaonis Arbor,
Iam poteris titulis ire superba meis.
Sicque Διὸς Βαλανὸν sapiens te dixerit Hellas;
GLANS etenim deinceps, seu IOVIS ARBOR eris.
Vtq; erat illa suo rubefacta cruore, ruborem
Contraxit virgis edita Planta nouis.
Quin vt conciderat cor saucia mille doloris
Vulneribus, Fructus spicula mille gerit.
Et quia venando montes dilexerat, altis
Innasci pariter montibus Arbor amat.
Et veluti specie superans pulcherrima Nymphas
Vssit amatores, omnisprocumq; Iouem:
Vis eadem in fructu pariter manifesta triumphat;
Esus enim flammas Cypridos ille parit,
Vtque, licet corpus per vim temerando, pudica
Candorem mentis non violauit Amans.
Sic quoque Castaneis externo cortice tantum
Nigror inest, intus candida pulpa viget.
Id Dryades Trinia, & gemino retulere parenti;
Illa NEAM laudans, improbat vsque Patrem.
Pelion, *vt monit, reguet, fabulasque dolare*
Saxeus, in montem versus ad astra petit.
Mæsta nec absimili fato Meliboea *peremptu est,*
Mutatam in Vicum nempe fuisse ferunt.

Vrbs

Vrbs modo Magnetum est, nomen Melibœa *remansit,*
Vique NEAM genuit, fert modo Castaneas.
Imo quòd hac Arbor penes hanc quàm plurima creuit,
Castaneæ *est alij nomen abinde loco;*
Apennnigenis hac dum Pastoribus Alcon
Ederet, applausit turba, miserta NEÆ.

FINIS.

Bononiæ, Typis Hæredis Victorij Benatij 1667.
Superiorum permissu.